



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

606. Ad quas terras seu provincias se extendant hæ preces.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

nominandi spirituale est, aut spirituali annexum) hæc vim non habeat ex parte Imperatoris, sed ex sola benevolentia Pontificum, qui, cum possent talia privilegia revocare, vel negare Principibus, id tamen non faciunt, quique hæc ipsam consuetudinem, cum sciant se tolerent, tacite approbare censentur. Pirh. Wagn. *ll. cit.* dumque ab immemoriali tempore Pontifices semper consueverunt legitime electis Romanis Regibus in Imperatorem promovendis hoc indulgum precum absque tergiversatione concedere, habent electi ejusmodi indubiam, certamque præsumptionem de mente & voluntate Papæ, cujus gratiæ & auctoritati, non solum, insistentes primariis precibus utuntur ante confirmationem, & hujus indulti emanationem, & electus nomine & auctoritate Apostolicâ potestatem nominandi vigore talis indulti concedi solitam, statim erga personas bene meritas exercet; ita ut nihil jam causa sit, cur Pontifex ratum non & habeat, & ratihabitionem literis, licet posterius datis ad ipsam electionis diem retrahatur, mandato sive indulto æquiparari velit. Pirh. Wagn. *loc. cit.* additque Wagn. sic visum esse, quod Ferdinand. IV. Augustæ in Regem Rom. electus absque mora preces primarias cumulatim, aut saltem earum expectativas, nemine improbante, contulerit, antequam Româ confirmationem perere, & accipere potuerit, Prædecessorum utique suorum exemplo, sine quo id ausus non fuisset.

Questio 605. An, cum dictæ preces pertineant ad gratias expectativas, quippe per eas Cæsar jus habet nominandi ad beneficia proximè vacatura, ea adversentur SS. Canonibus, c. 2. constitutus. de concess. præb. & c. 2. tit. eod. in 6. in quibus expectativa, utpote per quas votum captanda mortis inducitur, reprobantur & prohibentur, vel etiam Trident. quod sess. 24. c. 19. tollit quascunque gratias expectativas ad beneficia vacatura?

Respondeo negativè, cum hujusmodi concessio & gratia Cæsaris sit generalis & incerta, ut advertit Gailius *l. 2. observ. 155. n. 7.* adeoque non ita inducit periculum captandæ mortis. Pirh. *loc. cit. n. 385.* Chok. *in proem. precum. pag. 2. & 3.* Sed neque illo Tridentini decreto comprehenduntur preces primarias Cæsaris censuit ex sententia S. Congreg. Concilii ipse Gregor. XIII. in literis suis de Anno 1575. 25. Jan. de quo vide Gallemart. *ad cit. c. Trid.* cum in illo decreto non nominetur Imperator, qui cum speciali notâ sit dignus, nominatus fuisset, si Concilium illum comprehendere voluisset, sicut nominavit ibidem Cardinales, qui & ipsi sunt digni speciali notâ seu expressione. Pirh. *loc. cit.*

Questio 606. Ad quas terras seu provincias se extendant hæc preces?

Respondeo; solum per Imperium Rom. prout nunc est, non autem prout fuit, cum plures provincias & regna contineret; quia per illud solum secundum præsentem statum Cæsar habet superioritatem. Pirh. *loc. cit. n. 368.* Chok. *in proem. pag. 1.* Wagn. *loc. cit. §. 2. pag. 488.* Hinc eas locum non habere in Italia, ait Chok. nec in Ducatu Mediolanensi; juxta Rotam in una Novariensi, Canonizatus. 1555. 25. Octobr. habere tamen locum in civi-

P. Leuren, Fori Benef. Tom. II,

tate Cameracensi; & Metensi, aliisque, quæ fuerunt de Imperio, nunc autem sunt translata in alterius dominium. Verum quidquid sit de Camera-co & Metis, quarum urbium modo alius est status, quàm quando scribebat Chok. & Wagner. putat idem Wagn. posse Imperatorem, si suo jure uti velit, aut permittatur, privilegium illud exercere etiam in Ducatu Mediolanensi, & similibus, quæ quondam fuere Imperii, & hodie adhuc sunt feuda Cæsaris.

Questio 607. Ad qua beneficia se extendant hæc preces?

Respondeo: extendunt se ad omnia nominata *in quest. 1. hujus §.* Extendunt se itaque primò ad beneficia existentia in Imperio, etiam dum eorum Collatores vel Collatrices sedem non habent in Germaniâ; nec subsunt Imperio; neque enim Papa tam respexit domicilium Collatoris, quàm locum, ubi beneficia constituta sunt, dum indistinctè gravat Ordinarios Collatores habentes Collationem ad minimum 4. beneficiorum per Rom. Imperium. Unde jam e contra non extendunt se hæc preces ad beneficia existentia in Gallia, etiam si eorum Collator Sedem habeat in Germaniâ, sitque subiectus Imperio. Chok. *loc. cit. sect. 2. Wagn. pag. 488. Pirh. cit. num. 368.* Unde etiam, si beneficia principalia fiat extra Imperium, aliqua autem beneficia iis annexa existant in Imperio, neque hæc annexa cadent sub precibus juxta regulam: accessorium sequitur principalis naturam. Auctores iidem.

2. Secundò, ad beneficia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis; exprimuntur autem hæc Ecclesiæ, quia regulariter in dispositione generali non comprehenduntur dictarum Ecclesiarum beneficia, sed earum faciendâ est specialis mentio, juxta C. *quavis. de præb. in 6. Pirh. loc. cit. n. 369.* Chok. *pag. 38.* Wagn. *pag. 489.* Exprimuntur etiam specialiter Ecclesiæ Metropolitana, quia in materia odiosa appellatione Cathedralis non venit Metropolitana, licet sit Cathedralis, utpote qualis ea dicitur, in qua Cathedra & Sedes Episcopalis sita est. Auctores iidem.

3. Tertio, ad dignitates, personatus, administrationes, officia; dignitates ideo exprimuntur, quia in materia odiosa, adeoque restringenda (cujusmodi est facultas nominandi, conferendi, concessa ei, cui de jure non competit, quia derogat potestati Ordinariorum) nomine beneficii non veniunt dignitates; sic enim, dum conceditur mandatum ad beneficia curata, & quacunque alia, non includitur dignitas curata, juxta *clm. ne in agro &c. de statu Monach.* Auctores iidem. Personatus autem (qui est præeminencia aliqua in Ecclesia sine administratione) non est propriè, nec computatur inter dignitates, uti Coraf. *de benef. p. 4. c. 3. num. 7.* Parif. *de resig. c. 1. num. 91.* apud Chok. *loc. cit. pag. 39.* nisi fortè ex fundatione, statuto, vel consuetudine talis habeatur, ut ex Wames. Chok. *ibid.* unde statutum vel etiam literæ ad beneficia, loquentes de personatu, non complectuntur dignitatem. Auctores iidem. Per administrationes intelliguntur hic Ecclesiasticæ, quæ auctoritate Episcopi erectæ sunt in titulos, adeoque verè sunt beneficia; juxta Gomez. *ad regulam de infirmis q. 23.* Rebuff. *in pr. cit. quorundam benef. secul. nu. 15.* apud Chok. *pag. 40.* Officia Ecclesiastica, ut sunt Scholasteria, Cantoria &c.